

petuam hereditatem. De hortis bonorum suorum etiam nihil detur. Nihilominus tenore praesentium obligamus, quod nos nunquam de cetero in bonis ipsorum petitionem aliquam faciemus, recognoscentes in eis nihil iuris penitus nos habere. In cuius rei testimonium praesens scriptum ipsis dedimus sigilli nostri munimine communitum. Testes huius rei sunt nobiles viri Meynherus borgravius Misnensis, Alber. borgravius de Lizenik, Heinricus protonotarius noster dictus de Sweme, Thimo dictus Knut, Heine-mannus dapifer de Burnis, Botho de Turgowe, Heinricus de Trebezin, Theodericus Pubs et quam plures alii fide digni. Datum Misnae anno domini M°.CC°.LXXX°.IX°. III. Idus Septembris.

Nach dem Orig. im K. Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Reitersiegel des Markgrafen an einem Pergamentstreifen.

Wilkii Ticemannus. Cod. dipl. p. 83 mit wahrscheinlich tendentiöser Auslassung einiger Stellen.

No. 291. 1289. 19. Oct.

*Der Patriarch von Jerusalem bittet den B. Withego um eine milde Beisteuer für das heil. Land, zunächst um Ablieferung des dem Vernehmen nach für diesen Zweck bereits gesammelten Geldes.*

Venerabili in Jhesu Christo patri domino W. dei gratia episcopo Misnensi frater N. de ordine praedicatorum permissione divina sacrosanctae Jherosolimitanae ecclesiae patriarcha, ecclesiae Acconensis minister humilis ac apostolicae sedis legatus, salutem in eo, qui pro salute mundi dignatus est Jherosolimis misericorditer crucifigi. Cum terra sancta pretioso salvatoris sanguine consecrata, permittente altissimo providentiae divinae consilio, sit ad praesens multis afflicta molestiis et in magnis periculis constituta, utpote fortibus et saevis hostibus circumcincta, ac tam in reparando muros civitatis Acconensis, quae specialis portus et refugium esse noscitur omnibus peregrinis, quam conducendo stipendiarios contra potentes et saevos Christiani nominis inimicos magna pecuniae summa indigeat, paternitatem vestram affectuose rogamus et obsecramus per viscera misericordiae dei nostri, quatenus religiosis et prudentibus viris, quos procuratores nostros constituimus ad colligendum et recipiendum bona praefatae terrae debita vel debenda, consilium, auxilium et favorem praebere velit. Ceterum cum intellexerimus aliquam pecuniam apud . . custodem ecclesiae Misnensis esse depositam, quae ad praefatam terram sanctam noscitur pertinere, paternitatem vestram speciali affectione deprecamur, ut eam nobis nimis indigentibus, quam citius poteritis, mittere studeatis tantum super hoc facturi, quod propter hunc utilem et necessarium laborem, deum, qui salutem in medio terrae praefatae operari dignatus est, vobis constituatis propitium, et ipsi terrae plurimum desolatae, cui omnes, qui Christiana professione censentur, compati et condolere debent, consolatio procuretur, nosque proinde vobis ad gratiarum actiones magnifice teneamur. Datum Accon anno a temporali nativitate domini M°.CC°.LXXX°.IX. in crastino sancti Lucae.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen; das aussen aufgedrückt gewesene Siegel ist abgefallen.